

STATUTUM XXIX.

De Salario Professorum ob aliquod impedimentum non legentium.

Quemadmodum advocati, si per eos non steterit quominus causam agant, honoraria a suis principalibus accepta reddere non debent. (l. Qui operas ff. Locati et Conducti) ita Professoribus eisdem per jura (a Tolossan. in Syntagmat. Jur. univers. Lib. 3. Cap. 8 et Christophor. Besold. Dissert. Cap. 9. pagell. mili 103.) allegata, aequiparatis ob grassantem pestem, vel aliquod aliud legitimum impedimentum non legentibus propter identitatem rationis totum salarium debetur. (Dec. et Natta, quos citat Gaill. Lib. 1. Obs. 44. n. 13.) Paritas namque rationis, paritatem juris inducit. (l. Illud. ff. Ad l. Aquil.)

STATUTUM XXX.

De Interstitijs laborantium Professorum et diebus illegibilibus.

Quandoquidem tempore egemus, ut aliquid maturius agamus. (can. Ponderet. dist. 50.) ideo ut in hac nostra Facultate Juridica Doctores et Professores habent tempus ad maturius Lectiones Juridicas colligendas, quae ad sui collectionem multo tempore et labore indigent, more aliarum Facultatum Universitatis Nostrae et signanter Theologicae interstitia in suis laboribus juridicis sequentia observabunt. Et quidem Commutatione aestiva prius Doctores, ac post illos statim professores immediate post Festum Sancti Stanislai Episcopi et Martyris in Majo suas Lectiones inchoabunt, et easdem semper, exceptis diebus Feriatis ad populum, Festo S. Ivois Confess. 19. Maji, Vacationibus a Festo S. Margarethae Virg. exclusive inchoandis et in Festo S. Bartholomaei Apostol. inclusive terminandis, tum Festo S. Augustini Episcop. et Ecclesiae Doctoris die 28 August. incident. ad Festum Translationis ejusdem S. Stanislai Episcopi et Martyris praelegent: Commutatione vero Hyemali easdem Lectiones post Festum Sanctorum Omnium reasumptas exceptis itidem Feriis solennibus,